

## Urkundliche Belege.

---

### I.

Nos universitas provincialium sedis Cibinii et ad eosdem pertinentes scire cupimus universos priorum notitiam habituros, quod comes Johannes de Zegezvar nomine suo et aliorum ad ipsum pertinentes (!) coram nobis constitutus in nostra congregazione quasdam litteras privilegiales nobis ostendit cum instantia supplicando, ut easdem litteras privilegiales exscriberemus et nostro sigillo provinciali roboraremus; quarum litterarum privilegialium exstitit tenor talis:

Nos - - - as Wayvoda Transsilvanus et comes de Zonuk memoriae commendanus, tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis, quod, cum Salomon, Petrus et Nicolaus, filii Nicolai de Apoldia juxta continentiam aliarum litterarum nostrarum privilegia in congregacione nostra generali, feria quarta proxima post octavas beati Andreae apostoli celebrata, de facto possessionis Feiereghaz dictae, in comitatu Albensi existentis, contra Johannem et Nicolaum, filios Nicolai ac Stephanum filium Stephani filiorum Wyche de Zeguzzwar actione ipsorum proponere debuissent, volentes nos partibus justitia aequali respondere et eorum causas in brevi discussione determinare, ad requisitionem de facto ejusdem possessionis de universitate Saxonum comme-

taneorum ipsius possessionis Feiereghaz et aliorum in Kukullew faciendam ipsam causam prorogassemus, demumque a Jacobo judice Cibiniensi, Michaele de Enyettino, Nicolao filio Bolobuch, Georgio de Weryzmarth, Reynaldo de Medyes, Petro de Kewruz, Stephano filio Arnoldi, Petro de Saruz, Daniele, Michaele, Nicolao et Petro filiis Wernheri de Kysd, Johanne et Petro filiis Stephani de Boda et Petro de Karuth, senioribus sedium de Cibinio, de Medies, de Zeguzwar et Koz, nec non Hemiyns de Hezfolua caeterisque Saxonibus quam pluribus requisitionem inibi de eadem facto habuissemus, Saxones jam enumerati et tota communitas eorum statum et humanitatis fidei ipsorum (Wohl statum ex humanitatis fidei ipsorum) uniformiter nobis retulerunt eo modo: ut ipsa possessio Feireghaz Herrici Magni hominis infidelis, qui propter infidelitatis suae notam de jure amiserat, cuius non restat memoria, exstitisset et dominus Karulus illustris rex Ungariae praenominatis Nicolao et Stephano filiis Wyche pro eorum servitiis fidelissimis, prout possessionem suae donationi de jure pertinentem condonasset. Unde nos auditis Saxonum seniorum et communitatis praescriptorum attestationibus et perceptis hujusmodi causis inter partes praedictas sopitis penitus et sedatis saepius scriptam possessionem Feierghaz ipsis Johanni et Nicolao, filiis Nicolai ac Stephano, filio Stephani filiorum Wyche perpetuo jure haereditario commisimus possidendam, tenendam pariter et habendum. Datum in Kukullevar quinta feria proxima ante festum beati Thomae apostoli, a. d. 1337.

Et nos quidem praetactas litteras privilegiales in omni sua parte considerantes esse justas et perfectas, de verbo ad verbum, ut superius patet, ipsas duximus

describendas et authentici nostri provincialis sigilli munimine concessimus communitas. Datum Cibinio proxima tertia feria post festum beati Michaelis Archangeli, a. d. 1342.

„Ex archivio capituli Albensis Transsilvaniae exscripta“ 1, 48 in der Bathyan. Büchers. in Karlsburg.

## II.

Der Anwalt des Domkapitels in dem Streite gegen die sächsischen Pfarrer des Zehnten wegen behauptet:

Litterae praedictorum Gobolini et Nicolai ac universitatis Cibiniensis,<sup>109)</sup> tanquam rebellium sanctae romanae ecclesiae, domini legati et domini Caroli regis Ungarorum non faciunt fidem, nec eis est fides aliqua adhibenda, cum ipsi nitantur et nisi fuerint introducere in Regnum Hungariae Ottomem de Bavaria pro rege dicti regni et ipsum in principio introduxerunt et minitantur eidem ecclesiae et capitulo, quia dicunt, ipsum Ottomem captum fuisse consilio et auxilio episcopi et capituli Transsilvaniae. Et ab hoc anno praeterito (h. e. 1308) de mense Februarii feria secunda post dominicam Exurge eadem Cibiniensis universitas et canonicci cum sacerdotibus decanatus de Sebus manibus armatis ecclesiam beati Michaelis Transsilvanorum hostiliter invadentes in clericos et sacerdotes ejusdem ec-

109) Das Schreiben steht auch in Fejér VIII, 5, 47 und entschuldigt die Nichterscheinung der vorgeladenen sächsischen Kapitel mit dem ihnen vom Woewoden verweigerten freien Durchzuge durch sein Gebiet.

clesiae manus violentes turpiter injecerunt, usque cancellas et sacristiam ejusdem trudendo et fugando exercitis gladiis et sagittis contra eos.

Dagegen erwidert im Namen der Angeklagten Berthold Pfarrer in Kelling:

Non obstat, quod dicitur, quod dicta universitas cum sacerdotibus decanatus de Zebus anno praeterito de mense Februarii hostiliter invaserunt ecclesiam beati Michaelis, quia ad hoc non fuit universitas praedicta, sed ita factum se habuit, quod quidam de dicta universitate associaverunt quosdam plebanos, qui iverunt ad dominos canonicos Albenses causa appellandi ab eis ad sedem apostolicam propter quaedam gravamina et dum isti plebani legerent libellum appellationis coram dictis canoniciis, ipsi canonici immaniter in ipsos appellantes non sine magno contemtu apostolicae sedis et domini papae irruerunt, volentes eos nequiter captivare. Et tunc dicti appellantes dictorum canonicorum nequitiam et violentiam atrocem per fugae subsidium et dictorum associantium adjutorium evadere satagerunt.

In dem eigens dieser Angelegenheit wegen in demselben Jahre vor dem Kardinal Gentilis anhängig gemachten Processe gegen die sächsischen Pfarrer flagt im Namen des Domcapitels Philipp de Cingulo:

Procuratores et nuntii dictorum capitulorum, videlicet Bertholdus plebanus de Kelmik, item sacerdos de sub castro Petri, Andreas de Orbon et alii quam plures sacerdotes dicti capituli de Sebus de voluntate, li-

centia, mandato et consensu praedictorum septem capitulorum anno praeterito et de mense Februarii injuriose ac violenter hostiliter cum magna comitiva equitum, clericorum et laicorum armatorum ecclesiam beati Michaelis Transsilvaniae intraverunt, ostia praedictae ecclesiae claudendo ac custodes ibidem ponendo et insulatum fecerunt in canonicos ejusdem ecclesiae ad capitulum convocatos, percutiendo ac verberando quam plures clericos et beneficiatos ejusdem ecclesiae, fugando etiam et trudendo canonicos praedictos et alias ignominiose et turpiter transfugando ipsos usque in sacristiam ecclesiae supradictae, quam injuriam nolle praedictum capitulum sustinuisse pro mille marcis fini argenti ad pondus Budense. Quare peto ego praedictus Philippus procuratorio nomine, quo supra eundem Bertoldum procuratorem, procuratorio nomine praedictorum in praedicta quantitate marcarum nomine injuriarum formaliter condemnari et compelli et condemnandum fore decerni et ad hoc propono actionem injuriarum civilem.

Magnolus de Mevanea entgegnet im Namen der Angeklagten: „me quidem, vel dictum dominum Bertoldum praefatum non debere nec posse cogi respondere . . . , eo quod dictum capitulum Albense dictam questionem sede Albensi vacante intentare non potest.“ — Die Entscheidung, wie oben erwähnt, fehlt leider.

Collectan. vatic. biblioth.  
Vgl. Fejér VIII, 5, 48.

### III.

Ferdinandus divina favente clementia electus Romano-rum imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae etc. rex, tibi, fidieli nostro egregio Petro Haller, judici regio civitatis nostrae Cibiniensis salutem et gratiae erga te nostrae caesareae continuum incremen-tum. Quoniam per nonnullos consiliarios nostros fideles exhibitae sunt et praesentatae litterae quondam divi o-lim Andreae II dicti Hierosolymitani, regis Hungariae, serenissimi praedecessoris nostri, felicis reminiscentiae, super nobilitatione domus gerebiana (tunc antiquitus Emerici Vizaknai, comitis Bistriciensis, nunc vero tuae) in oppido nostro Vizakna et comitatu Albensi partium nostrorum Transsilvanarum existentis habitae, privile-giales in pergameno patenter factae et sub sigillo ejus-dem Budae decimo tertio Calend. Junii in anno Domini 1222 tunc currentis, nunc vero dudum praeteritae (sic!) emanatae, vigore quarum idem dominus rex et praedecessor noster domum antelatam cum officio judi-catus regii Vizakniensis, juribus item ac judiciorum con-suetis processibus condecorasse ac donasse, ut et a de-cimaru-quarumlibet pensione ac ab omni onere civili et plebeo gratiose in perpetuum emissee et nobilitasse dinoscebatur. Quas litteras easdem privilegiales nos quoque denuo pro tua per antelatos fideles consiliarios nostros supplicatione nobis humillime porrecta non solum confirmamus, verum etiam ex gratia nostra caesarea in aliqua sui parte augmentandas duximus, prout easdem in omnibus articulis et punctis roboramus et confirma-

mus, ut et eandem ab omni censum, taxarum et contributionum ac decimarum quarumlibet solutione, servitorum quorumlibet exhibitione et ab hospitum condescensu clementer in perpetuum eximus et nobilitamus praesentium vigore. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes litteras nostras secreti et authentici sigilli nostri, quo ut rex Hungariae utimur, munimine roboratos tibi Petro Haller haeredibus et posteritalibus tuis universis dandas duximus et concedendas. Datum in civitate nostra Viennae Austriae die tertia mensis Augusti, a. d. 1559.

Aus dem handschriftlichen Werk der Batthyán.  
Bücherf. „Miscellaneorum tomus quartus“  
p. 392.

---

# ZOBODAT -

## [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv des Vereins für Siebenbürgische Landeskunde](#)

Jahr/Year: 1843

Band/Volume: [01](#)

Autor(en)/Author(s): diverse

Artikel/Article: [Urkundliche Belege. I. 60-66](#)

